

1499 guntur , qui annum in Senatu sint (usu autem semper fit , ut omnes civitatis principes , & natu majores , ad id muneris deligantur ) ipse non unus modo ex eo numero fuit ; quod tamen ipsum ei ætati atque ordini magnum & inusitatum videri poterat ; sed pluribus etiam suffragiis , quam cæteri complures , eum magistratum est adeptus : quod prope incredibile ante illum diem fuisset . tantam eo tempore imperator legati præfectique , ob ignaviæ opinionem , civitatis in se invidiam excitaverant : amorem autem & benivolentiam conciliaverat fortitudo . Nam & Antonius Lauredanus Andreæ Lauredani frater , & Aloisius Armerius , Albani frater Armerii , magistratum sale procurando omnibus suffragiis sunt adepti : quem omnino per se se dignitatis & civitatis gradum decennio post uterque posse assequi ne speravisset quidem . Et Jacobo Polano , Vincentii Polani , ejus de quo sermonem habuimus , patri , magno consensu locus datus est inter sexaginta ci- ves , qui quotannis Senatui adjici solent . Itaque Zanca- nius ad urbem rediens , custodiæque traditus , a Senatu condemnatus est , ut Patavii annos quatuor exularet . Ne- que ei profuit , quod Antonii & reliquorum , qui rempu- blicam male gessisse dicebantur , necessarii & propinqui ei faverent , ut vel omnino absolveretur , vel levissime con- demnaretur , quo Patres hujus exemplo judicii placabilio- res in se se fierent : quæ eos opinio fecellit .

Naupacto Antonius amissus , navibus longis majoribus & onerariis compluribus abeundi facultatem concessit . Ea res molestissima fuit Patribus , qui nuncio de Naupa- ctii ditione accepto , per literas Antonio mandaverant , ne classem diminueret : visumque est multis id Antonium non satis bono consilio fecisse . Ipse deinde Cephallenem insulam aggressus , ubi nihil se proficere cognovit , Cor- cyram reliqua cum classe se recepit : ibi acceptis de Se- natusconsulto imperioque abrogato literis , classe , pecunia , rationibusque publicis legatis traditis ad urbem rediit : cui præsto fuit Dominicus filius , vir philosophiæ studiis clarus , e Cardinalium insuper collegio , Roma veniens ,

ut